# BULL
OF
# LEO. XIII.

---

# ANSWER
OF THE
# ARCHBISHOPS OF ENGLAND.

# Responsio Archiepiscoporum Angliae ad litteras apostolicas Leonis Papae xiii

## De ordinationibus Anglicanis.

---

Universis Ecclesiae Catholicae Episcopis inscripta

LONGMANS, GREEN, ET SOC.
LONDINI, IN VICO DICTO PATERNOSTER ROW
NOVI EBORACI ET BOMBAIAE
1897
*PRETIUM UNIUS SOLIDI ANGLICANI*

# Responsio Archiepiscoporum Angliae ad litteras apostolicas Leonis Papae xiii

## De ordinationibus Anglicanis.

---

Universis Ecclesiae Catholicae Episcopis inscripta

Da pacem, Domine, in diebus nostris !

LONGMANS, GREEN, ET SOC.
LONDINI, IN VICO DICTO PATERNOSTER ROW
NOVI EBORACI ET BOMBAIAE
1897

## BREVIARIUM EPISTULAE.

# RESPONSIO AD LITTERAS APOSTOLICAS LEONIS PAPAE XIII.

## DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

---

UNIVERSIS ECCLESIAE CATHOLICAE EPISCOPIS ARCHIEPISCOPI ANGLIAE SALUTEM.

I. Saepius officio nostro accidit ut, cum de communi salute velimus scribere, oriatur occasio de quaestione aliqua controversa disserendi, quae in aliud tempus abici non possit. Hoc certe recenter evenit cum, mense Septembri proxime praeterito, litterae typis mandatae et publici iuris iam factae, subito ex Roma perlatae essent, quae totum nostrum statum ecclesiasticum subvertere conarentur. His quidem litteris, ut par erat, animos nostros diligenter advertebamus cum carissimus frater noster Edwardus, tunc Archiepiscopus Cantuariensis et totius Angliae Primas et Metropolitanus, Deo ita volente, morte inopina praereptus est. Qui rem nobis tractandam, quam ipse sine dubio summa cum doctrina et theologica gratia tractaturus erat, ultimis suis verbis scriptis legavit. Placuit ergo nobis Archiepiscopis et Primatibus Angliae hanc epistulam conscribendam curare, ut tum venerabili fratri nostro Leoni Papae XIII, cuius nomine litterae istae proferuntur, tum ceteris episcopis Ecclesiae Christianae per totum orbem propagatae, veritas rei innotesceret.

II. Grave quidem hoc munus est et quod non sine aliquo vehementis animi affectu peragi possit. Sed cum nos a principe Pastorum ad partem muneris sui tremendi in Ecclesia Catholica sustinendam vere ordinatos esse firmiter credamus, iudicio litterarum istarum nihil commovemur. Opus ergo, quod nobis necessario incumbit, "in spiritu lenitatis" adgredimur; et maioris

momenti ducimus ut doctrina nostra de sacris ordinibus et ceteris ad eos pertinentibus ad futuram rei memoriam palam fiat, quam ut victoriam ex alia ecclesia Christi in controversia reportemus. Controversiae tamen forma his litteris dari necesse est, ne quis dicat nos argumentorum ex alia parte prolatorum aciem evitasse.

III. Controversia vetus erat, sed non acerba, de forma et materia ordinum sacrorum, quae ex natura rei exorta est, cum nihil de ea traditum a Domino aut ab Apostolis Eius inveniatur, nisi exemplum notissimum orandi cum manuum impositione. De hac etiam re parum pronuntiaverunt Concilia Provincialia, nihil certum et absolutum Oecumenica et generalia.

Neque etiam Concilium Tridentinum, cui Patres nostri non interfuerunt, rem directe tangit. Quae obiter dixit de impositione manuum (*sess.* XIV *de extrema unctione cap.* III) et exactius de vi verborum "Accipe Spiritum Sanctum," quae pro forma ordinis accipere videtur (*sess.* XXIII *de sacramento ordinis*, *canone* IV), nobis satis placent, et certe nulla cum offensione audiuntur.

Controversia recentior et acerbior de validitate ordinationum Anglicanarum fuit, cui controversiae theologi Romani cum ardore se immiscuerunt, et varia nobis plerumque crimina et defectus imputaverunt. Sunt et alii ex eis, neque ii minime prudentes, qui defensionem nostram generosius susceperint. Pontificum autem Romanorum sententia rationibus plene instructa nunquam antea prodiit, nec, cum praxis reordinandi sacerdotes nostros, quamvis non sine exceptione, manifeste obtineret, propter quos defectus reordinarentur rescire poteramus. Notae erant de Formoso lites indignae et de haereticis schismaticis et simoniacis ordinationibus vacillationes longae. Praesto erant Innocenti III de unctione necessario supplenda epistula et Eugenii IV Decretum ad Armenos; monumenta historica saeculi XVI, sed magna ex parte usque hodie incognita; iudicia varia Pontificum recentiorum Clementis XI et Benedicti XIV, sed Clementis quidem verbis generalibus concepta et ea ratione incerta. Aderat etiam Pontificale Romanum, de tempore in tempus reformatum, sed, quale nunc exstat, tam confuse compositum ut mentes inquirentium magis turbaret quam adiuvaret. Si quis

enim ritum *de ordinatione presbyteri* spectet, videt manus impositionem propriam a formae prolatione seiungi. Nescit etiam si ille qui in rubricis "ordinatus" dicitur, revera iam ordinatus sit, an potestas quae ad finem officii detur per verba "Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt" cum impositione manuum Pontificis, necessaria sit pars sacerdotii (ut Concilium Tridentinum[1] videtur docere) an non necessaria. Similiter etiam, si quis ritum *de consecratione electi in episcopum* perlegat, in orationibus et benedictionibus pro viro consecrando nusquam eum "episcopum" dici inveniet nec "episcopatum" de eo praedicari.[2] Quod ad orationes attinet occurrit prima vice nomen episcopatus in missa "infra actionem."

Ex his igitur documentis plane inter se variantibus et indefinitis nemo vel prudentissimus expiscari poterat quid secundum Pontifices Romanos sacris ordinibus revera essentiale et necessarium foret.

IV. Frater ergo ille noster venerabilissimus litteris Idibus Septembribus datis, quae verbis *Apostolicae curae* incipiunt, hanc quaestionem modo adhuc inusitato adgressus est, quamquam argumenta ab eo prolata satis antiqua sunt. Neque negare volumus eum in hac controversia ineunda commoditati Ecclesiae et veritati rerum consuluisse cum notionem vanissimam, sed theologorum scholae post S. Thomam Aquinatem usque ad Benedictum XIV et etiam usque hodie late acceptam, de traditionis instrumentorum necessitate proiecerit. Idem quoque alios errores et fallacias bene neglexit, quos et pro parte nostra in hac responsione neglecturi sumus, et speramus theologos ex parte Romana, exemplo eius adductos, in posterum esse neglecturos.

V. Totius itaque iudicii eius cardo in duobus punctis vertitur, scilicet in praxi curiae Romanae et in forma ritus Anglicani, cui subiacet quaestio tertia, sed a secunda non facile separanda, de intentione nostrae ecclesiae. De illa statim respondebimus, quamvis nostro iudicio minoris momenti sit.

III. [1] *Sess.* xxiii *de sacr. ord. canone* i ubi potestas aliqua consecrandi et offerendi, in sacerdotio postulatur una cum potestate peccata remittendi et retinendi. Cf. *ib. cap.* I. De his vide plura infra cap. xv et xix.

III. [2] "Cathedra episcopalis" post unctionem in benedictione memoratur.

VI. De praxi curiae et legati Romani saeculo xvi, quamvis multa scripserit, credimus Papam nobiscum revera esse incertum. Videmus enim nihil eum habere quod documentis huc usque bene cognitis addi possit, et ex exemplari minus perfecto litteras Pauli IV *Praeclara carissimi* citare et ex eo disputare. Ubi sunt, exempli gratia, facultates Polo post Augusti diem v 1553 et ante Martii diem viii 1554 concessae, quas Julius III, litteris hoc die datis, "libere utendas" circa ordines minus rite aut non servata consueta forma susceptos confirmat, non autem clare definit? Nam sine illis facultatibus "normae agendi" a Polo observandae parum notae sunt. Distinctio enim de "promotis" et "non promotis" a Papa memorata (§ 3), quae in utrisque litteris fit, non statum cleri Edwardiani attinere videtur, sed illorum qui sine ulla ordinatione praetensa beneficia tenerent, ut saepe eo tempore fiebat. Quis vero penitus cognovit vel quod in hac re factum sit vel quibus ex rationibus factum? Partem scimus: partem nescimus. A nostra tamen parte probari potest opus reconciliationis istius sub Maria regina (a Iulii die vi 1553 ad xvii diem Novembris 1558) auctoritate regia et episcopali, ante adventum Poli, maxima ex parte consummatum fuisse.

In quo conficiendo multa inconstantia et inaequalitas apparet. Et cum multi sacerdotes Edwardiani, propter varias causas et praesertim ob coniugium initum inveniantur deprivati, ob defectum ordinis, quantum scimus, nulli. Aliqui propria voluntate reordinati sunt. Aliqui unctionem susceperunt in supplementum ordinis iam collati, quae cerimonia tunc temporis magni momenti a quibusdam ex episcopis nostris habebatur.[1] Aliqui, et fortasse plures numero, in beneficiis suis sine reordinatione permanserunt, immo aliquando ad nova promoti sunt. Polus autem mense demum Novembri anno 1554 in Angliam ex exilio reversus est, et mensibus sequentibus quindecim reconciliationem ad finem perduxit. Principium vero operis eius videtur fuisse ut statum rerum

VI. [1] Vide Jacobum Pilkington *Expositionem super prophetam Aggeum* ii. 10—14, quae anno 1560 edita fuit (*Works* Parker Society p. 163): "Proximis temporibus papisticis episcopi nostri illi sancti eos omnes qui sine tali unctione ministri facti fuissent ad se vocabant et benedictione papali benedicebant et ungebant, et illico res absoluta est: pro vivis et defunctis sacrificare poterant: sed eis coniuges ducere nullo modo licebat" etc. Cf. Innocentium III *ep.* vii 3 (1204).

ante adventum suum existentem agnosceret, et omnes vires ad dominatum Papae restituendum converteret. In quo unus et forsan alter (plures enim adhuc non inventi sunt) sub Polo reordinati sunt, annis sc. 1554 et 1557; quo tamen anno hi duo cursum reordinationis inceperint, incertum est. Certe, post Poli adventum, paucissimi reordinati sunt. Alii forsan supplementum aliquid ordinis, qualecunque illud fuerit, acceperunt, sed hoc in Registris nostris non apparet.

Sed si multi sub Reginaldo Polo, legato Romano, reordinati essent, nihil mirandum fuisset, cum ille in constitutionibus suis legatinis duodecim, ad calcem constitutionis secundae, Eugenii IV Decretum pro Armenis subiunxerit, "quia" ut ait "in iis quae ad doctrinam capitis ecclesiae et sacramentorum pertinent hic (*i.e.*, in Anglia) maxime erratum est."[2] Et hoc non ut archiepiscopus noster sed ut legatus Papae fecit. Anno enim 1556 ineunte hae constitutiones promulgatae sunt. Presbyter autem Polus ordinatus tandem fuit die XX mensis Martii eiusdem anni; et proximo die, quo archiepiscopus noster legitimus Cranmerus vivus combustus est, missam prima vice cantavit; die vero XXII archiepiscopus consecratus est.

Decreti autem Eugenii IV, a Polo repetiti, verba hic citamus, cum plane ostendant quam lubricum et infirmum fuerit in hac re Romanae ecclesiae iudicium. Porro cum Leo papa doctrinam Poli in hac re collaudet, et scribat alienum prorsus fuisse Legatum a Papis commonefieri "de eis quae sacramento ordinis conficiendo necesse sunt", decreti Eugeniani penitus oblivisci videtur, quod in alia parte litterarum suarum tacite repudiavit. (Cf. § 3 et § 5). "Sextum sacramentum est ordinis: cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patinae cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri evangeliorum dationem: subdiaconatus vero per calicis vacui cum patina vacua super-

VI. [2] Vide Labb. et Cossart. *Concilia* tom. xiv p. 1740, Paris. 1672, et tom. xiii p. 538 ad A.D. 1439. Confer etiam *Concilia Mag. Britanniae* ed. Wilkins tom. iv p. 121 col. 2 qui liber paulum differt et verba Decreti Eugeniani omittit. Constat Eugenii verba ex Aquinatis *Expositione in articulos fidei et sacramenta ecclesiae* plerumque esse desumta (*Op.* tom. viii pp. 45—9 Venet. 1776).

posita traditionem: et similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et sic de aliorum ordinum formis prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius Sacramenti est episcopus: effectus, augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister." Hic ne verbo quidem attinguntur impositio manuum et invocatio Spiritus Sancti in ordinandos. Eugenius tamen, ut ex explicatione ceterorum sacramentorum patet, non de rebus ab Armenis supplendis, ut Romani interdum dictitant, sed de rebus sacramentorum administrationi penitus necessariis, Aquinatis vestigia diligentur secutus, Ecclesiam quasi magistri loco erudit. Ita quoque in priori parte decreti eiusdem scribit: "Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia: *quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum*" (*Conc.* XIV p. 1738).

In ecclesia autem nostra a mense Martio 1550, usque ad diem 1 Novembris 1552, cum traditio instrumentorum aliqua maneret (sc. calicis cum pane in presbyteris, et baculi pastoralis in episcopis, et Bibliorum in utrisque), formae tamen eidem coniunctae, in eas paene quae nunc in usu sunt, iam mutatae erant. Anno autem 1552 etiam traditio calicis et baculi omissa est, Bibliorum tantum restabat. Decessit vero Edwardus rex Iulii die VI 1553.

Itaque, secundum hoc decretum, presbyteri illi omnes reordinandi erant. Sed opinio cum praxi vix consensit. Neque ipse Paulus IV, cum in brevi *Regimini universalis* de episcopis "rite et recte ordinatis" caveat, quidquam de forma ordinationis presbyterorum exigit. (Vide infra Appendicem ad finem).

VII. Fundamentum secundum, sed vix firmius, sententiae papalis de praxi curiae apparet esse iudicium Clementis XI de causa Johannis Gordon, episcopi quondam Gallovidiensis, latum feria quinta die XVII Aprilis anni 1704 in Congregatione generali Inquisitionis, vel, ut dici solet, S. Officii.

De qua causa hic breviter respondemus, cum propter tenebras S. Officio circumfusas, et in litteris Papae parum dissipatas, dilucide tractari non possit. Quod plenius dici possit in Appendicem reiecimus. Quatuor autem sunt praecipue rationes propter quas haec causa infirmo et imbecillo fundamento iudicii eius videatur. Imprimis, cum ipse Gordon proprio motu oraret ut ordines Romano ritu susciperet, causa ex altera parte non audita est. Secundo, petitio eius fabulam istam cauponariam pro fundamento habuit, et mendaciis de ritu nostro vitiata fuit. Tertio, nova documenta "integrae fidei" a Papa citata adhuc ambagibus involuta sunt, et ipse de eorum tenore et sententia, quasi incertus, disputat.[1] Quarto, decretum S. O., si illud cum iudicio Papae concordare reputemus, vix conciliari potest cum responsione consultorum eiusdem S. O. de Aethiopum ordinationibus, quae ante dies fere octo dicitur data, et a theologis Romanis usque ad annum 1893 pro documento auctoritate praedito saepius edita fuit. Proferenda sunt ergo omnia ista documenta si res ex aequo iudicanda sit.

In fine notandum est Gordon nunquam ultra ordines minores in ecclesia Romana processisse. Satis enim fecit tantum ut pensione ex quibusdam beneficiis aleretur.[2]

VIII. Bene certe fecit Papa qui in his sententiis tam infirmis non adquieverit, sed rem de novo retractandam censuerit; quamvis hoc specie potius quam re factum videatur. Cum enim causa ab eo ad S. Officium delata fuerit, constat illud, traditionibus suis constrictum, vix potuisse a iudicio in causa Gordoniana lato, quamvis male fundato, dissentire.

Porro cum rem ipsam attingit et Concilii Tridentini vestigiis insistit, nihil a fundamento iudicii eius sententia nostra abhorret. Materiam ordinationis recte dicit impositionem manuum. De

VII. [1] Confer *Apostolicae curae* sec. 5: "Quae sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit: tunc enim praescriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur" e. q. s. Quae argumentandi ratio longe abest a citatione documenti perspicacis. Vide Appendicem.

VII. [2] Vide Le Quien *Nullité des Ord. Anglicanes*, *Paris* 1725, ii. pp. 312 et 315.

forma iudicium eius non tam clare enuntiatur; sed credimus eum velle dicere formam esse orationem vel benedictionem ministerio tradendo idoneam, quae nostra etiam sententia est. Neque Papam deserimus cum suadet intentionem ecclesiae in sacris ordinibus conferendis, "quatenus extra proditur," recte investigandam esse. Cum enim mentem interiorem sacerdotis vix quisquam adsequi possit, ut ab ea validitatem sacramenti pendere fas non sit dicere, voluntas certe ecclesiae et facilius exquiri potest, et vera et sufficiens esse debet. Quae quidem intentio ab ecclesia nostra generaliter proditur cum promissionem ab ordinando exigat, ut doctrinam sacramenta et disciplinam Christi recte ministrare velit, et eum, qui huic promisso infidum se monstraverit, iure puniendum doceat. Et in Liturgia continuo oramus pro Episcopis et Parochis "ut tam vita quam doctrina sua verum vivumque (Dei) verbum annuntient, et sancta (Eius) sacramenta recte et rite ministrent."

Sed intentio Ecclesiae "quatenus extra proditur" exquirenda est, ex formulis scilicet publicis et sententiis definitis quae rei summam recta via tangant; non ex omissionibus et reformationibus per occasionem factis, secundum libertatem quae unicuique Provinciae et genti competit, nisi si quid forte omittatur quod in verbo Dei aut statutis universae Ecclesiae cognitis et certis ordinatum fuerit. Si enim consuetudinem medii aevi et saeculorum recentiorum pro norma quis adsumat, videte, fratres, quam contra libertatem Evangelii agat et veram regni Christiani indolem. Et, si hunc modum in validitate sacramentorum iudicanda sequimur, omnia in incertum trahimus, nisi solum Baptisma, quod, secundum iudicium universae Ecclesiae, materiam et formam a Domino ordinatas habere videatur.

IX. Agnoscimus ergo cum Papa ordinum sacrorum materiam esse impositionem manuum: agnoscimus formam esse orationem vel benedictionem ministerio tradendo idoneam: agnoscimus intentionem ecclesiae, quatenus extra proditur, investigandam esse, ut perspiciamus si cum mente Domini et Apostolorum, et Ecclesiae universae statutis, concordet. Non tamen apud nos tantum valet

doctrina illa, a scholasticis post tempus Gulielmi Autissiodorensis (A.D. 1215) toties decantata, quod unicuique ex sacramentis Ecclesiae forma una et materia omnibus numeris definita esse debeat. Neque eam credimus apud Romanos de fide esse. Periculum enim erroris maximum inducit si quis Papa vel Doctor, qui multum apud suos valeat, hanc vel illam formam aut materiam, neque in verbo Dei neque a Patribus Catholicis aut Conciliis definitam, pro necessaria agnoscendam hominibus persuadeat.

Unicum est enim, ut diximus, sacramentum Baptisma, quod et forma et materia penitus certum est. Et hoc naturam rei sequitur. Cum enim Baptisma Christi omnibus ostium Ecclesiae sit, et ab omnibus Christianis, si necessitas urgeat, ministrari possit, condiciones validi Baptismatis omnibus notae esse debent. Quod autem ad Eucharistiam attinet (si quaestiones de azymis et sale, de aqua, et ceteras huiusmodi ut minores seponas) materiam satis certam habet: de forma eius plena et essentiali usque hodie disceptatur. Confirmationis vero materia non adeo certa est; et nos quidem Christianos de ea diverse sentientes invicem damnandos nullo modo censemus. Forma autem Confirmationis incerta est et prorsus generalis, oratio scilicet vel benedictio plus minus congrua, quae in singulis ecclesiis fuerit usitata. Et sic de aliis.

X. Sed hic locus de Confirmatione paulo latius tractari debet: multum enim lucis in quaestionem a Papa propositam infert. Scribit enim de impositione manuum quod materia sit quae "aeque ad Confirmationem usurpatur." Confirmationis ergo materia, Papa iudice, impositio manuum videtur esse, ut a traditione Apostolica nos etiam accepimus. Sed Romana ecclesia, pro impositione manuum unicuique conferenda, extensionem manuum super turbam parvulorum aut simpliciter "versus confirmandos," multa per saecula, corrupta consuètudine adhibuit.[1] Orientales (cum

X. [1] In Sacramentario "Gelásiano" dicto (saec. forsan vii) adhuc legimus *Ad consignandum imponit eis manum in his verbis:* sequitur oratio de septiformi dono Spiritus. Et in ordinibus "Sancti Amandi" dictis, qui saeculi forsan viii sunt, cap. iv. pontifex tangit *capita ipsorum de manu.* In "Gregoriano" autem *levata manu sua super capita omnium dicit*, etc. In Pontificali vero vulgato: *Tunc extensis versus confirmandos manibus dicit*, etc.

Eugenio IV) chrisma materiam esse docent, et impositione manuum in hoc ritu nulla utuntur. Si ergo doctrina de materia et forma sacramentorum certa admittenda esset, Romani parum recte multis retro saeculis Confirmationem ministraverunt, Graeci nullam habent. Et plures quidem ex illis corruptionem a Patribus illorum factam re confitentur, impositione manuum cum chrismatione iuncta, ut rescivimus, multis in locis, et rubrica in Pontificalibus quibusdam de hac re addita. Et quaerere licet an Orientales, qui ad Romanos convertantur, iterum Confirmatione egeant? an confitentur Romani eos aequum ius in materia immutanda usurpasse, sicut ipsi in corrumpenda?

Quodcumque responderit Papa, satis clarum est illi doctrinae de forma et materia definita non ubique pressius insistendum; omnia enim sacramenta Ecclesiae, excepto baptismate, idcirco in dubitationem trahi posse.

XI. Quaerimus ergo qua ex auctoritate formam definitam in sacris ordinibus tradendis Papa invenerit? Testimonium nullum ab eo adlatum vidimus nisi locos duo e Concilii Tridentini placitis (*sess.* XXIII *de Sacramento ordinis*, *canone* I, et *sess.* XXII *de sacrificio missae*, *canone* III), quae post Ordinale nostrum compositum promulgata sunt, ex quibus colligit praecipuam sacerdotii Christiani gratiam et potestatem esse consecrationem et oblationem corporis et sanguinis Domini. Auctoritas plane eius Concilii apud gentem nostram nunquam accepta est, et ab eo multa vera cum falsis, multa incerta cum certis, commixta invenimus. Quoad locos autem a Papa citatos respondemus, nos de S. Eucharistiae consecratione maxima cum reverentia curare, et solis sacerdotibus rite ordinatis et nullis aliis Ecclesiae ministris permittere. Eucharistiae etiam sacrificium vere docemus, nec sacrificii crucis "nudam esse commemorationem" credimus, ut Concilio illo citato nobis videtur imputari. Satis tamen credimus in liturgia nostra qua in S. Eucharistia celebranda utimur,—corda habentes ad Dominum, et munera, quae antea oblata sunt, iam consecrantes ut nobis corpus et sanguis fiant Domini nostri Jesu Christi,—sacrificium quod ibidem fit ita significare. Memoriam scilicet perpetuam

pretiosae mortis Christi qui ipse est Advocatus noster apud Patrem et propitiatio pro peccatis nostris, usque ad Adventum Eius secundum praeceptum Eius observamus. Primo enim sacrificium laudis et gratiarum offerimus; tum vero sacrificium Crucis Patri proponimus et repraesentamus, et per illud remissionem peccatorum et omnia alia Dominicae passionis beneficia pro tota et universa Ecclesia impetramus; sacrificium denique nostrum ipsorum Creatori omnium offerimus, quod per oblationes creaturarum Ipsius iam significavimus. Quam actionem totam, in qua plebs cum sacerdote partem suam necessario sumit, sacrificium Eucharisticum solemus nominare.

Porro cum nos satis stricte admoneat Papa de necessitudine quae "inter fidem et cultum, inter *legem credendi et legem supplicandi* intercedat," aequum videtur ut animum et vestrum et nostrum ad liturgiam Romanam propius vertamus. Et cum ipsum "Canonem Missae" diligenter inspiciamus, quid de notione sacrificii ibidem prodita luculenter apparet? Cum formulis nostris Eucharisticis satis consentit, vix aut ne vix quidem cum Concilii Tridentini placitis. Vel potius dici debet a Concilio illo duos sacrificii explicandi modos simul proferri, unum qui cum scientia liturgica et prudentia Christiana concinat, alterum qui theologiae populari et periculosae de propitiatione Eucharistica addictus sit. In Canone autem Missae sacrificium, quod offertur, quatuor modis describitur. Primo loco est "sacrificium laudis,"[1] quae notio totam actionem permeat, et quodammodo sustinet, et in unum quasi corpus coniungit. Secundo est oblatio facta a servis Dei et cuncta familia Eius, de qua oblatione petitur "ut nobis corpus et sanguis fiat" Filii sui Domini nostri. Tertio est oblatio Maiestati Eius de suis "donis ac datis" (id est de frugibus segetum et arborum, ut recte explicat Innocentius III[2], quamvis verba

XI. [1] "Sacrificium laudis" id est Eucharisticum vel pacificum (*Anglice* "thank-offering" vel "peace-offering") quod in hac re ab aliis sacrificiis differt, cum in illo, homo, qui offert, cum Deo partem oblationis ex ritu sumat. Nomen ex veteri versione Latina est (vide Pentateuchum Lugdunensem), quod ab Hieronymo "pro gratiarum actione oblatio" vel "hostia gratiarum" redditur, *Levit.* vii. 12, 13. Unde in liturgia nostra ambo coniunguntur: "this our sacrifice of praise and thanksgiving."

XI. [2] *De sacro altaris mysterio* V cap. 2.

Domini de eis iam dicta sint a sacerdote), quae Panis sanctus vitae aeternae et Calix salutis perpetuae nominantur. Quarto loco et ultimo (*Supra quae propitio*) sacrificium, tribus modis oblatum, et, secundum sententiam Romanam, iam plene consecratum, cum sacrificiis patriarcharum Abel et Abrahae, et cum eo quod obtulit Melchisedech, comparatur. Quod cum "sanctum sacrificium, immaculata hostia" dicatur, non solum ratione offerentis sed etiam oblatorum comparari videtur.[3] Deinde rogat ecclesia ut haec perferantur per manus sancti Angeli ad sublime altare Dei. Denique occurrit, post secundam seriem nominum sanctorum, orationis particula (*Per quem haec omnia*) quae ad benedicendas fruges aptior videtur, quam sacrificio eucharistico idonea.

Ex praecedentibus ergo plane constat *legem credendi* a Concilio Tridentino propositam aliquantum ultra limites *legis supplicandi* progressam esse. Res certe mysterii plena est et quae mentes hominum facile ad cogitationes altas et profundas, valido amoris et pietatis affectu, adtrahat. Sed, cum summa reverentia tractari debeat, et caritatis Christianae vinculum non disputationum subtilium occasio habenda sit, definitiones curiosae de modo sacrificii et de ratione qua coniunguntur sacrificium aeterni sacerdotis et sacrificium Ecclesiae, quae aliquo certe modo unum sunt, nostro iudicio, vitandae sunt potius quam promovendae.

XII. Quare ergo forma et intentio nostra in presbyteris et episcopis faciendis impugnatur?

Scribit quidem Papa, si ea quae minoris momenti sunt negligamus, "ordinem sacerdotii vel eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini*, eo sacrificio quod non est *nuda commemoratio*

XI. [3] Haec oratio interpretes satis torsit. Conferendi sunt e.g. Innocentius III *de sacro altaris myst.* v 3, Bellarminus *de sacr. Euch.* (*de missa*) lib. vi 24, Romsée *Sensus literalis rituum missae* art. xxx. Vetustior eius forma apparet in [Pseudo-Ambrosii] libro *de Sacramentis* iv 6 § 27 ubi partes eius inverso ordine leguntur. Scribitur etiam "per manus Angelorum tuorum." Tempore Leonis I Canoni Romano iam addita videtur, si vera sint quae in *Vita* eius referuntur, de verbis "sanctum sacrificium, immaculatam hostiam," ab illo subiunctis. Cf. *serm.* iv 3, ubi de Melchisedech dicitur "illius sacramenti immolans sacrificium, quod Redemtor noster in suo corpore et sanguine consecravit."

*sacrificii* in cruce peracti" in presbytero ordinando debere significari. De episcopi consecrandi forma quid voluerit non adeo clarum est, sed videtur, secundum sententiam illius, quovis modo "summum sacerdotium" oportere de eo praedicari.

Utrumque tamen mirum est, cum in antiquissima formula Romae saeculo tertio post Christum ineunte, ut videtur, usitata, (cum eadem plane forma et pro episcopo et pro presbytero, excepto nomine, adhibeatur) nihil omnino dictum sit de "summo sacerdotio" aut de "sacerdotio," neque de sacrificio corporis et sanguinis Christi. "Orationes et oblationes quas (Deo) offeret die noctuque" solum commemorantur, et potestas ad remittenda peccata tangitur.[1]

In Sacramentario autem veteri Romano, quod saeculo VI forsan tribui potest, pro presbyteris solum orationes tres adhibentur. Duae sunt breviores sc. *Oremus, dilectissimi* et *Exaudi nos*, et tertia longior, praefationi Eucharisticae similis, quae vera Benedictio est, et cum impositione manuum olim coniuncta, quae incipit *Domine sancte pater omnipotens, aeterne Deus, honorum omnium*, etc. Quae orationes a saeculo sexto ad nonum, et forsan ultra, sine ullis aliis cerimoniis, totum ritum presbyteri ordinandi in ecclesia Romana continebant. Hae orationes, parum immutatae, in Pontificali Romano retinentur, et quasi nucleum formulae *de ordinatione Presbyteri* efficiunt, quamvis impositio manuum, longiori formae olim coniuncta, in principium actionis transierit, et ad finem missae rursus data sit. In Benedictione autem "sacerdotium" de presbyteris non praedicatur, nec quidquam in orationum serie illa de sacrificandi potestate aut de peccatis remittendis dicitur. "Gratia" etiam "sacerdotalis", quae in Pontificalibus plurimis in oratione secunda invocatur, in quibusdam et nostris et extraneis[2] simpliciter "gratia spiritualis" est. Sed haec forma sine dubio valida est.

Similia dici possunt de forma episcopi consecrandi. Orationes et Benedictio in Pontificali hodierno restant, parum mutatae.

XII. [1] Vide *Canones Hippolyti* ab Hans Achelis editos t. vi voluminum dictorum *Texte und Untersuchungen* Gebhardti et Harnack Lips. 1891 p. 39—62.
XII. [2] Vide e.g. E. Martene *de ant ecc. rit.* t. ii. pp. 429, 493, Rotom. 1700.

Incipiunt vero *Exaudi Domine supplicum preces* (nunc *Adesto*), *Propitiare Domine* et *Deus honorum omnium.* Secunda "cornu gratiae sacerdotalis," tertia "summum sacerdotium" memorat, sed nihil aliud quod ad propositum Papae confirmandum proferri potest. Cetera omnia quae in Pontificali habentur, ex usu temporum recentiorum, et praesertim ex ritibus Gallicanis, derivantur.[3]

Et hoc etiam dicendum est de potestate peccata remittendi, quae a Concilio Tridentino una cum "potestate aliqua consecrandi et offerendi" (not. III[1]) et aequa cum significantia, memoratur. Nusquam apparet usque ad saec. XI in ordinatione presbyteri: nusquam in forma antiqua Romana de consecratione episcopi. Apparet tantum in longa interpolatione Gallicana ad benedictionem episcopi *Sint speciosi munere tuo pedes eius* usque ad *ut fructum de profectu omnium consequatur.*

Sed Papa qui ad Concilium Tridentinum provocat ab eodem iudicari debet. Aut ergo hae formulae Romanae nullae erant propter defectus de sacrificio et de peccatis remittendis, aut auctoritas Concilii illius nulla est ad hanc quaestionem de necessaria forma ordinis decidendam.

Alia etiam forma antiqua[4] consecrandi episcopi, apud nos quidem et alibi saeculo XI usitata, hic citari potest, quae parem

XII. [3] Sacramentarium vetus Romanum ex tribus potissimum libris colligi potest, quod ad orationes attinet, "Leoniano" sc., "Gelasiano" et "Gregoriano" dictis. Primus tamen solus Romanus est sine ullo alio colore. Gelasianus in Galliam invectus saec. VIII ineunte, et Gregorianus sub Carolo Magno, ab Hadriano Papa, circa A.D. 780 transmissus—ambo ritus et orationes Gallicanos Romanis immixtos habent. "Ordines" etiam tres pro ritibus conferendi sunt, sc. Mabillonii VIII et IX et ordines "Sancti Amandi" dicti, qui a viro erudito L. Duchesne in Appendice libri *Origines du culte chrétien* anno 1889 Parisiis prima vice typis mandati sunt. Qui omnes eandem simplicitatem ostendunt.

XII. [4] Haec forma e.g. in *Leofrici Exoniensis Missali* occurit (pag. 217 ed. F. E. Warren Oxon. 1883), in Pontificali quodam Gemmeticensi (Martene *de ant. eccl. rit.* t. ii p. 367) et in Sarisburiensi (vide Maskell *Monumenta Ritualia Eccl. Angl.* ed. 2 Oxon. 1882 vol. ii p. 282). Verba de mysteriis celebrandis et *Admonitio ad sacerdotes* (ib. p. 246) pro exemplo patribus nostris videntur fuisse in ordinatione presbyteri. Haec forma, cum formulis *Canonum Hippolyti* et *Constitutionum Apostolicarum* necessitudine quadam coniuncta, antiquitatem satis magnam redolet, et, verbis de summo sacerdotio exceptis, aeque ad presbyterum ordinandum idonea videtur. Sunt qui credant eam esse Romanam et ab Augustino Cantuariensi in nostrum usum derivatam fuisse.

simplicitatem exhibeat. Incipit *Pater sancte omnipotens Deus qui per Dominum* et pro consecrandis orat, "ut antiquitus instituta possint sacramentorum mysteria celebrare. Per te in summum, ad quod assumuntur, sacerdotium consecrentur," sed nihil de sacrificio, nihil de peccatis remittendis loquitur.

XIII. De episcoporum titulo simpliciter et statim respondemus, nomen "summi sacerdotis," nullo modo necessarium esse, ad hoc officium in forma consecrationis describendum. Ecclesia enim Africana etiam a primatibus suis hoc nomen manifesto repudiavit :[1] "pontificalis" autem "gloria," quae interdum in Sacramentariis invenitur, gentilem vel iudaicam dignitatem potius quam ecclesiasticum ordinem refert. Nobis nomen episcopi sufficit, quod officium eorum designet qui, Apostolis remotis, cum praecipui in Ecclesia pastores permanserint, ordinandi et confirmandi ius exercerent et, una cum presbyteris pluribus, unam "parochiam," vel ut nunc dicitur dioecesin, regerent. Quorum ordini Papa se ipsum, in principio epistulae suae, secundum morem maiorum recte adnumerat. Sacerdotes sine dubio sunt episcopi, ut sunt presbyteri, et eo nomine saeculis antiquioribus magis quam presbyteri gaudebant ; et quarto vel quinto demum saeculo presbyteri, saltem apud Latinos, sacerdotes pleno iure dici consuescebant. Sed ideo episcopos nostris temporibus in forma consecrationis "summos sacerdotes" dici oportere non sequitur. Aliter forsan erat de "sacerdotio" episcoporum saeculis antiquioribus, certe usque ad nonum et fortasse usque ad undecimum, cum homo adhuc diaconus, *per saltum*, quod dicitur, saepe episcopus sine presbyteratu fieret.[2] Iis ergo temporibus certe idoneum si non

XIII. [1] Vide *Conc. Carth* III (A.D. 397) *canonem* 26 : "Ut primae sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primae sedis episcopus." Huic autem concilio interfuisse creditur S. Augustinus Hipponensis. Locus de hoc nomine a Baronio etc. citatus Augustini certe non est.

XIII. [2] De hac re confer Mabillonii *commentarium praevium in ordinem Romanum* capp. xvi et xviii (Migne *Pat. Lat.* tom. 78 pp. 912-3, et 919-20) et Martene *de ant. eccl. rit.* lib. I cap. viii, art. iii, sec. 9, 10, t. ii p. 278 sq., et ordinem Mabillonii viii (= Martene i) qui in codicibus saec. ix invenitur, ubi patet nihil discriminis factum fuisse in forma si consecrandus diaconus tantum foret. Canon enim Sardicensis XIII in Occidente parum servabatur, ut, inter alia,

necessarium fuit sacerdotium de eo praedicari, ut in oratione quae adhuc in Pontificali adhibetur, scilicet de cornu gratiae sacerdotalis. Sed cum haec consuetudo *per saltum* consecrandi longo tempore exoleverit (quamvis nullo forsan statuto prohibita), et episcopus aliquo saltem tempore sacerdos exstiterit in presbyteratu, sacerdotium denuo conferri nunc non est necessarium, nec (si iudicium nostrum ingenue fateamur) rectissimum et optimum. Nec, cum secundum Concilium Tridentinum (*sess.* v. *de Ref. c.* II et *sess.* XXIV *de Ref. c.* IV) "praecipuum episcoporum munus" sit praedicatio evangelii, a Romanis hoc exigendum est. Ideo neque "summum sacerdotium" neque "sacerdotium" ullum novum de episcopis praedicari est necesse.

Nos tamen, cum in Ordinali nostro de summis sacerdotibus et pontificibus sileamus, usum horum nominum in aliis documentis publicis non refugimus. Exempla enim proferri possunt ex *libro precum publicarum* etc. anno 1560 latine edito, ex epistula duodecim episcoporum pro Grindallo archiepiscopo A.D. 1580, et ex mandato archiepiscopi nostri Whitgift suffraganeo suo episcopo Dovoriensi dato A.D. 1583.[3]

XIV. Duobus autem argumentis contra formam nostram prolatis, quae praecipue Papae placent, paulo latius respondebimus. Primum quidem est nos post centum fere annos (A.D. 1662) post verba "Accipe Spiritum sanctum" quaedam addidisse quae

ex versione Dionysii Exigui patet, qui verba canonis ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου καὶ διακόνου καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ sic reddit "nisi ante et lectoris munere et officio diaconi *aut* presbyteri fuerit perfunctus." Exempla afferuntur Johannis diaconi, S. Galli discipuli (Walafridus Strabo in *vita S. Galli* c. 23-25, A.D. 625), Constantini anti-papae (A.D. 767), et paparum Pauli I (A.D. 757), Valentini (A.D. 827), et Nicolai I (A.D. 858). Hunc morem inter alia Latinis obiciebat Photius Constantinopolitanus. Rem non negabat Nicolaus, sed de promotione Patriarchae ex laico Graecos arguebat, *Ep.* lxx ap. Labb. et Cossart. *Concil.* viii p. 471 B. Ordinatio etiam diaconi in Episcopum *per saltum* intellegitur in rituali Syrorum Nestorianorum apud Morinum *de sacr. ord.* parte II p. 388, ed. Antverp. 1695 = Denzinger *Ritus Orientalium* t. ii p. 238 (1864).

XIII. [3] Vide orationem pro clero et populo post Letaniam et *Conc. Mag. Brit.* iv. pp. 293 et 304. Secundo loco Grindallus a confratribus suis vocatur "eximius Christi praesul et summus in Ecclesia Anglicana sacerdos Dei."

*officium et opus episcopi* vel *sacerdotis* (cf. infra cap. XV et not. 1 et 3) designarent. Et innuit verba illa Domini nostri, sine verbis postea additis, non per se satis fuisse sed manca et non idonea. Sed in Pontificali Romano, cum consecretur Episcopus per impositionem manuum consecratoris et assistentium Episcoporum forma sola est "Accipe Spiritum sanctum." In Pontificalibus autem recentioribus nostris Spiritus sanctus invocabatur per Hymnum "Veni Creator," Exoniensi excepto in quo forma Romana additur. Sequebatur oratio de cornu gratiae sacerdotalis. Sed, ut diximus, in nulla oratione, ante consecrationem perfectam, apparet in Pontificali nomen episcopi vel episcopatus; ita ut videantur Patres nostri anno 1550 et postea, si in forma erraverint, ut innuit Papa, omisso nomine episcopi, una cum ecclesia Romana hodierna errasse. Sed illo tempore continuo apud nos sequebantur verba S. Pauli quibus credebatur memorare consecrationem S. Timothei in episcopum Ephesium, et manifesto in hunc sensum usurpata. Sunt vero "Et memento ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis" (2 *Tim.* i 6,7). Et recordari potestis, fratres, haec verba sola a Concilio Tridentino citari, ut probet ordinem conferre gratiam (*sess.* XXIII *de sacr. ord. cap.* III). Haec ergo forma, vel simplex ut in Pontificali, vel duplex ut apud nos, abunde sufficit ad creandum episcopum, si intentio vera manifestetur, quae patet per alias orationes et suffragia (quae officium, opus et ministerium episcopi diserte commemorant), per examen et similia. Non dicimus vero verba "Accipe Spiritum sanctum" necessaria esse, sed sufficientia. Non enim in Pontificalibus nostris antiquioribus apparent neque in Romanis, neque omnino in Orientalibus. Sed cum Concilio Tridentino libenter confitemur, ea verba non frustra dici ab episcopis,[1] vel in consecratione episcopi, vel in ordinatione presbyteri, cum verba Domini sint ad Discipulos, ex quibus omnia officia nostra et potestates fluxerint, et tam sacrae rei apta et idonea. In Diaconatu non tam idonea sunt, itaque a nobis in ea ordinatione non adhibentur.

XIV. [1] Vide *Conc. Trid. sess.* xxiii *de sacr. ord. can.* iv.

XV. Forma quoque presbyteri faciendi apud nos anno 1550 et postea aeque idonea fuit. Oratione enim Eucharistica finita, quae ad institutionem Domini nostri mentes nostras revocat, sequebatur impositio manuum ab Episcopo cum sacerdotibus assistentibus facta cui coniuncta est forma imperativa ex Pontificali desumta, sed eadem plenior et gravior. (Cf. cap. XIX). Post verba enim "Accipe Spiritum sanctum" continuo sequebantur, ut in Pontificali Romano hodierno, quod mirum in modum silet Papa, "quorum remiseris peccata remittuntur eis; et quorum retinueris retenta sunt;" et statim a Patribus nostris ex Evangelio (S. Luc. xii 42) et S. Paulo (1 *ad Cor.* iv 1) bene addita "et sis fidelis Dispensator verbi Dei et sanctorum sacramentorum eius; in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen." Quae forma nulli alii ministro ecclesiae nisi sacerdoti congruit, qui et potestatem clavium (quae vocatur) habeat et verbum et mysteria Dei populo solus pleno iure dispenset, sive in presbyteratu maneat, sive in episcopatum ad maiora munera promotus fuerit. Deinde sequebatur, ut nunc sequitur, collatio potestatis praedicandi et ministrandi sacramenta, ubi quis ad haec constitutus fuerit minister, cum traditione Bibliorum sacrorum, quae nostro iudicio instrumenta praecipua ministerii sacri sunt, et cetera in se (iuxta ordinis gradum proprium) comprehendunt. Et ob causam Gordonianam forsan non inutile fuerit explicare, has formas non verbis tantum sed re differre. Prima enim, quae cum impositione manuum coniungitur, "Accipe Spiritum sanctum" cum verbis sequentibus, dat facultates et potestates sacerdotii generales, et, ut dici solet, characterem imprimit. Secunda autem, cum traditione Bibliorum, dat auctoritatem ut ille qui ordinatus sit Deo publice ministret et potestatem exerceat super fideles qui unicuique in parochia sua vel cura animarum committendi sunt. Quae mandata simul iuncta omnia necessaria sacerdotio Christiano comprehendunt et, nostro iudicio, clarius ostendunt quam in sacramentariis et pontificalibus factum est. Neque enim nomen ipsum "sacerdotis" et similia declinamus aut in *Libro precum publicarum seu ministerii ecclesiasticae administrationis sacramen-*

*torum, etc.* sub Elizabetha Regina A.D. 1560 latine edito, aut in aliis documentis publicis latina lingua conceptis.[1] Et hoc non sine significatione factum videtur, cum in versionibus Biblicis nostris, saeculo XVI editis, verbum ἱερεὺς id est "sacerdos" per "Priest" reddatur (quod in Ordinali Anglicano semper usitatur, et saepissime in officio Eucharistico et alibi); πρεσβύτερος autem i.e. "Presbyter" vertitur "Elder" id est "Senior."

Cum ergo verba *ad officium et opus episcopi* vel *sacerdotis* (ut nos Latine reddere solemus "the office and work of a priest") anno 1662, addita essent, non videtur Romanae controversiae gratia factum, sed ad erudiendas Presbyterianorum mentes, qui in nostro libro fundamentum suis opinionibus quaerebant. Historicis bene notum est eo tempore certamen Ecclesiae Anglicanae cum eis viris et aliis novatoribus, rege occiso et regis filio expulso et ecclesiastico statu everso, multo acerbius fuisse quam cum Romanis. Addita sunt vero verba non ut formam sensu liturgico perficerent. Mutationes enim illae longius nos a Pontificalibus trahebant non propius adducebant. Scopus ergo additamenti erat ut differentia ordinis manifestaretur. Addita sunt etiam eodem tempore alia eiusdem generis contra novatores, velut in Letania precationes contra "rebellionem" et contra "schisma," oratio pro Magna Curia Parlamenti et pro stabilitate pacis internae et religionis, et orationes quatuor temporibus dicendae. Quae Papam latere forsan non mirandum est; sed haec omnia difficultatem monstrant libri nostri interpretandi ex separatione gentium et ecclesiarum ortam.[2]

Sed forma saeculi XVI per se non modo sufficiens sed abunde sufficiens erat. Oratio enim *Omnipotens Deus, omnium bonorum*

XV. [1] E.g. in articulis religionis anni 1562, in canonibus anni 1571 et alibi: vide *Conc. Mag. Brit.* tom iv. pp. 236, 263, 429. Similiter in versione graeca libri nostri, anno 1665 Cantabrigiae edita, Ἱερωσύνη et ἱερεὺς in ordinali et in officio Eucharistico et alibi leguntur. In quibusdam versionibus latinis "presbyter" potius reperitur.

XV. [2] Vide G. Burnet *Hist. Ref.* II p. 144 (1680) et *Vindication of Ordinations of Ch. of Eng.* p. 71 (1677); H. Prideaux *Eccl. Tracts* pp. 15, 36, 69—72 etc. (1687) ed. 2, 1715; cf. eiusdem epistulam ap. Cardwell *Conferences* p. 387–8 n., ed. 3 Oxon. 1849.

*dator*, quae pro vocatis "in officium sacerdotii" Deum apprecatur ut Ipsi fideliter in hoc officio deserviant, pars formae tunc temporis erat et ab episcopo immediate ante examen dicebatur[3]. Nunc vero, cum verba nova eandem sententiam diserte exprimant in alium locum remota est et pro collecta diei sumitur.

Hanc etiam mutationem Papam fugisse non miramur: sed res animadversione digna est. Observamus enim eum in hac parte litterarum aliquantulum cunctari, cum innuat formam anni 1662 forsan in se sufficientem aestimari debere, si modo centum fere annis antiquior fuisset (§ 7). Opinionem etiam eorum theologorum videtur amplecti, qui formam non in oratione vel benedictione una, vel precativa quam dicunt vel imperativa, sed in serie tota formularum vinculo quodam morali coniunctarum, constare credant. Pergit enim disputare de auxilio causae nostrae "novissime," ut credit, "arcessito ab aliis eiusdem Ordinalis precibus." Quae provocatio nostra nullo modo nova est, sed facta fuit saeculo XVII cum iam argumentatio Romana de verbis additis primum innotesceret.[4] Neque illum ab opinione Johannis Cardinalis de Lugo credimus dissentire qui docet totam ordinationem unam actionem efficere, nec referre si materia et forma ab invicem seiunctae sint (ut in Pontificali fit) si ea quae intercedant moraliter coniungantur.[5]

XV. [3] Operae pretium est hanc orationem annorum 1550 et 1552 hic referre, cum verba illa *ad officium et opus presbyteri* vel *sacerdotis* tam magni Romae aestimentur.

"Omnipotens Deus, omnium bonorum dator, qui per Spiritum sanctum tuum varios ministrorum ordines in Ecclesia tua constituisti; Respice propitius hos famulos tuos in officium sacerdotii iam vocatos; et eos doctrinae tuae veritate et innocentia vitae ita adimple, ut tam ore quam bono exemplo tibi in hoc officio fideliter deserviant, ad gloriam tui Nominis et ad Congregationis profectum. Per merita." Haec oratio notionem "benedictionis" *Deus honorum omnium* breviter exprimit. Sunt qui credant "bonorum" variam lectionem esse pro "honorum."

XV. [4] Vide Gilb. Burnet *Vindication* pp. 8, 71, qui scribit haec additamenta Ordinationi non essentialia esse sed explicationes tantum esse eorum "quae antea per alias harum formularum partes satis clara fuerant;" et Humf. Prideaux *Eccl. Tracts* p. 117 qui orationem *Omnipotens Deus* exscribit et de ea disputat. Similia scripserat J. Bramhall (1658) *Works* A. C. L. iii pp. 162—9, Oxon. 1844.

XV. [5] *De sacramentis in gen.* disp. ii. sec. v § 99, t. iii p. 293-4, Paris. 1892.

XVI. Argumentum autem praecipuum et firmissimum illud Papae videri credimus quod non de verbis in forma nostra additis, sed de cerimoniis et orationibus in cetera actione peragenda a nobis sublatis, nos incuset. Scribit enim (§ 7): "Nam ut cetera praetereantur quae eas (preces) demonstrent in ritu Anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare." Et infra addit quae partim falsa sunt, partim lectores in errorem facillime abductura, et Patribus nostris et nobis iniqua:—"Toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi: sed immo omnia huiusmodi rerum vestigia . . . sublata et deleta sunt de industria" (§ 8). Et alio loco, magna (piget dicere) cum rerum ignorantia, scribit de parte "ea Anglicanorum, non ita magna, recentiore tempore coalita, quae arbitratur posse idem Ordinale ad sanam rectamque sententiam intelligi et deduci." Deinde a nobis negari et adulterari sacramentum ordinis affirmat, nos repudiare (in Ordinali scilicet) omnem notionem consecrationis et sacrificii, et dicit officia presbyteri et episcopi restare "nomina sine re quam instituit Christus." His duris et inconsultis verbis respondimus iam ex parte, monendo incertam et periculosam viam ab eo iniri qui ex coniectura tantum ecclesiae nostrae actus interpretetur, et sibi ius adsumat novi decreti proponendi de ordinis forma necessaria, quod episcopos nostros legitimos, saeculo decimo sexto ecclesiam gubernantes, ob regulam illis plane incognitam, damnet. Ecclesiarum particularium libertas in ritibus reformandis non ita pro arbitrio Romae tollenda est. Nam, ut infra partim monstrabimus, "ritus catholicus" nullo modo unus est, sed multum inter se variant ritus etiam a Romanis approbati.

Sed tacet intentionem ecclesiae nostrae ex praefatione Ordinalis nostri notissimam, tacet principium a Patribus nostris semper propositum quod actus eorum sine interpretatione inimica explicat.

XVII. Intentio certe ecclesiae nostrae, non partis recenter coalitae, ex titulo Ordinalis et praefatione eidem praefixa abunde patet. Titulus quidem anno 1552 erat "Ordo et ritus faciendi et consecrandi Episcopos Presbyteros et Diaconos." Praefatio autem, quae statim sequitur, sic incipit:—"Manifestum est omnibus, Sacram Scripturam et veteres auctores diligenter perlegentibus, exstitisse in Ecclesia Christi ex Apostolorum temporibus hosce ministrorum ordines, Episcopos, Presbyteros et Diaconos. Quae quidem munera ita magni semper aestimabantur, ut nemo auderet privata sua auctoritate ullo eorum fungi, nisi qui iam vocatus esset, probatus, examinatus, et eidem sustinendo par esset satis cognitus: et praeterea per preces publicas cum impositione manuum ad id approbatus et admissus. Igitur eo fine ut isti Ordines in Ecclesia Anglicana conserventur et reverentia debita usurpentur et aestimentur: necessarium est neminem (nisi qui iam Episcopus, Presbyter aut Diaconus sit) ullo eorum fungi, nisi qui secundum ritum sequentem ad id vocatus, probatus, examinatus et admissus fuerit." Infra autem dicit inter alia "quisque autem in Episcopatum consecrandus annum tricesimum complevisse debet." Et in ritu ipso "Consecratio" Episcopi saepius memoratur. Successio etiam et propagatio horum officiorum a Domino per Apostolos et ceteros ecclesiae antiquae ministros diserte significatur in orationibus "Eucharisticis" quae praemittuntur verbis *Accipe Spiritum sanctum.* Intentio igitur Patrum nostrorum fuit haec officia a primis temporibus derivata conservare et propagare "et reverentia debita usurpare et aestimare", eo nimirum sensu quo ab Apostolis recepta sunt et eo usque in usu erant. Quod a Papa indebite siletur.

XVIII. Sed Leo papa haec omnia et similia "nomina sine re quam instituit Christus" vocat. At contra principium fundamentale nostrorum Patrum fuit omnia ad auctoritatem Domini in sacris Scripturis revelatam revocare. Cerimonias ergo ab hominibus confectas et additas rescindebant, etiam illam notissimam codicem Evangeliorum tenendi super caput episcopi ordinandi, dum benedictio funditur et manus imponuntur, quae et Latinis et

Orientalibus hodie communis est,[1] quamvis ecclesiae Romanae antiquae incognita.

Una igitur materia in imprimendo charactere utebantur nostri, sc. impositione manuum, una in tradenda potestate publice ministrandi et facultates exercendi super gregem unicuique commissum, sc. Bibliorum vel Evangeliorum traditione, quam ex ritu novum episcopum inaugurandi et similibus videntur adsumsisse, ut in Pontificali manet Evangeliorum traditio post annulum episcopo datum. Ceteras velut traditionem instrumentorum et ornamentorum, benedictionem et unctionem manuum et capitis, cum orationibus consequentibus, recentius institutas, et in Ordinale antiquum Romanum ex aliis plerumque gentibus et praesertim ex Gallia acceptas, pleno iure rescindebant. Porrectio instrumentorum, ut satis notum, ex formulis ordinum minorum fluxit, et Pontificalibus ante saeculum XI incognita fuit, quo tempore a scriptoribus primum memorari videtur. Hac reformata recidebat etiam formula nova "Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missamque (vel ut in Pontificali Romano "missasque") celebrare tam pro vivis quam pro defunctis," etc. Oratio vero ad benedicendas manus etiam ante saec. XVI ad placitum episcopi dici vel dimitti poterat. Unctio Gallicana et Britannica est, non Romana. Non enim solum a libris "Leoniano" et "Gelasiano" abest, sed ab ordinibus VIII et IX Mabillonii et a "S. Amandi," qui saeculi, ut videtur, VIII-IX consuetudinem repraesentant. Porro saeculo nono Nicolaus Papa I scribit A.D. 874 ad Rudolfum Bituricensem, in Romana ecclesia nec presbyterorum nec diaconorum manus chrismate inungi.[2]

XVIII. [1] Vide *Constitutiones Apost.* viii. 4 et *Statuta Ecclesiae antiquae* canone 2, quae Gallicana, ex provincia Arelatensi, videntur, quamvis interdum falso nomine Concilii Carthaginensis IV circumferantur. Hunc ritum ab ecclesia Romana alienum fuisse diserte testatur auctor libri, qui in Alcuini nostri operibus editur, *de divinis officiis* cap. xxxvii., saec. fortasse xi.: "non reperitur in auctoritate veteri neque nova, neque in Romana traditione." (Migne *P.L.* tom. 101 p. 1237): Et sic Amalarius *de eccl. off.* ii 14 (*P.L.* 105 p. 1092). De usu in consecratione papae vide Mabillon. *Ord.* ix 5.

XVIII. [2] Migne *Pat. Lat.* tom. 119 p. 884, ubi numeratur epist. 66. Cf. et Martene *de ant. ecc. rit.* lib. 1 cap. viii art. ix sec. 9 et 14. Haec Nicolai responsio "Praeterea sciscitaris" in Gratiani *Decreto dist.* xxiii. cap. 12 inseritur.

Primus qui aliquid tale commemorat est Gildas Britannicus.[3] Similia etiam dici possunt de unctione capitis, quae ex imitatione consecrationis Aaronicae, ut alia plura, manifeste fluxerit, et saeculo IX vel X extra Romam, ut ex Amalario (*de eccl. off.* ii. 14) et Pontificalibus nostris colligi potest, primum apparuerit.[4]

Restat Benedictio Gallicana *Deus sanctificationum omnium auctor*, quae ex abundanti Benedictioni Romanae addita est (cap. XII), et similiter a Patribus nostris reiecta est. Quae oratio verbis interpolatis manifeste corrupta, ut in Pontificali Romano habetur, doctrinae transsubstantiationis, a nobis reiectae, favere videbatur, et in se vix intellegi poterat, ita ut liturgiae in lingua vulgari dicendae, ad populi nostri aedificationem, nullo modo idonea videretur. Eadem tamen, qualiscunque sit, nihil de potestate sacrificandi docet.

XIX. Quid mirum ergo si orationes illas ex liturgia, lingua vulgari recitanda, resecarent Patres nostri ut ad simplicitatem Evangelii redirent? In quo viam viae a Romanis initae oppositam certe sequebantur. Romani enim a simplicitate paene Evangelica incipientes, suorum rituum severitatem ornamentis Gallicanis distinxerunt, et cerimonias a Vetere Testamento traductas decursu temporis addiderunt, ut discrimen inter populum et sacerdotes etiam atque etiam significaretur. Quas cerimonias nullo modo "contemnendas et perniciosas," aut suis locis et temporibus inutiles dicimus, sed non necessarias esse profitemur. Saeculo ergo XVI cum Patres nostri liturgiam, in usum tam plebis quam cleri ordinarent, paene ad origines Romanas reversi sunt. Utrique enim, et Patres eorum sancti, et nostri, quos novatores dicunt, eosdem duces fidissimos sequebantur, Dominum et Apostolos. Nunc vero ecclesiae hodiernae Romanae exemplum, quae tota in offerendo sacrificio occupatur, quasi exemplar unicum nobis pro-

XVIII. [3] *Epistola* § 106 p. 111 ed. Stevenson, 1838, qui benedictionem memorat "qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus." Unctio manuum presbyterorum et diaconorum in Sacramentariis Anglicanis saeculorum x et xi praescribitur.

XVIII. [4] Confer *Conc. Trid. Sess.* xxiii *de sacr. ord. canone* v, quod cum videatur admittere in ordinatione unctionem "non requiri," anathematizat eos qui eam, et alias ordinis cerimonias, "contemnendas et perniciosas" dixerit.

ponitur. Quod a Papa tam strenue factum est, ut scribere non dubitet de Ordinalis nostri precibus "consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designet" (§ 7).

At nos fidenter asserimus Ordinale nostrum, in hac praesertim re, Pontificali Romano variis modis praestare, cum et ea quae ex institutione Christi ad naturam sacerdotii attinent (§ 9), et effectum rituum catholicorum in Ecclesia universa usitatorum, clarius et fidelius exprimat. Quod ex collatione Pontificalis et Ordinalis, nostro quidem iudicio, ostendi potest.

Formula Romana incipit cum praesentatione ab Archidiacono facta et duplici adlocutione episcopi, prima ad clerum et populum, secunda ad ordinandos—in ordinatione enim presbyteri examen nullum publice fit. Sequitur impositio manuum episcopi, et deinde presbyterorum assistentium, sine ullis verbis effecta; de quo ritu perplexo Cardinalis de Lugo iudicium citavimus (cap. XV). Deinde dicuntur orationes tres antiquae, duae breves et Benedictio longior (cap. XII), quae ab episcopo "extensis manibus ante pectus" iam dicitur. Haec, quae in antiquis libris "Consecratio" dicitur, ab auctoribus probatis,[1] post Morinum, vera ordinationis Romanae forma creditur, et cum impositione manuum olim sine dubio coniungebatur: nunc vero, ut in Confirmatione fit (cap. X), extensio manuum pro impositione adhibetur, nec tamen ipsa necessaria creditur. Certe, si ordinationes Romanae antiquae valent, hac oratione dicta ordinatio presbyterorum etiam nunc in ista ecclesia perfecta est. Illa enim forma quae semel pro aliquo sacramento Ecclesiae suffecerit, et adhuc intacta et integra retineatur, eadem mente retenta credi debet; nec sine sacrilegio quodam asseri potest eam virtutem suam perdidisse, cum alia post eam tacite addita sint. Propositum vero partis recentioris formulae Romanae non id certe fuit ut partem antiquiorem vi propria evacuaret; sed non inepte credi potest hoc fuisse, ut sacerdotes iam

XIX. [1] Vide Martene *de ant. eccl. rit.* I cap. VIII art. IX § 18 t. ii p. 320 ed. Rotom. 1700, et Gasparri *Tract. Can. de s. ord.* § 1059. Paris 1893.

ordinati primo ad sacrificium offerendum variis ritibus et cerimoniis praepararentur, deinde ut potestatem offerendi diserte traditam acciperent, tertio ut iidem in missa celebranda ius sacerdotii usurparent, denique ut alia potestate sacerdotali, peccata scilicet remittendi, publice ornarentur. Quae sententia ex verbis Pontificalium veterum confirmatur, ut e.g. in Pontificali Sarisburiensi legitur "Benedic et sanctifica has manus *sacerdotum tuorum*." Haec igitur omnia quae post antiquam illam formam sequuntur, sicut verba nostra anno 1662 addita, simpliciter non necessaria sunt. Potestates enim istae vel implicite et ex usu tradi possunt, ut apud antiquos fiebat, vel statim et diserte; sed ad ordinationis efficaciam modus traditionis nullo modo pertinet.

Quae cum partim perspexissent patres nostri, et viderent doctrinam scholasticam circa transsubstantiationem panis et vini, et recentiorem de sacrificio crucis in missa (ut credebatur) repetito, populari sensu cum quibusdam ex sequentibus cerimoniis et orationibus coniungi, apud se quaerebant quomodo ritus ille totus non modo integrior et purior, sed perfectior et nobilior evaderet. Et cum eo tempore de antiquitate orationum primarum nullo modo constaret, sed doctorum sententiae formis imperativis omnem virtutem tribuerent, animos suos ad has potius quam ad illas advertebant.

In quem finem primo simplicitatem persequebantur, et totius ritus partes ad unum quasi culmen dirigebant, ita ut nemo dubitare posset quo momento gratia et potestas sacerdotii daretur. Ea est enim simplicitatis vis ut animos hominum magis ad divina evehat quam series longa cerimoniarum, quamvis rectissima voluntate coniunctarum. Orationibus ergo praemissis, quae et officium sacerdotii et successionem a ministerio Apostolorum declarabant, impositionem manuum cum verbis Domini nostri iungebant. Et in hac re exemplum Ecclesiae Apostolicae consulto[2] secuti sunt, quae primo "ad orationem se convertebat," deinde manus imponebat et ministros suos dimittebat, non Romanae, quae impositionem

XIX. [2] Vide adlocutionem Archiepiscopi ad populum in consecratione Episcopi, et Act. xiii 3. Cf. vi 6 et xiv 22.

manuum primo adhibet. Secundo, cum de variis sacerdotii officiis secum reputarent, videbant Pontificale vulgatum circa duas res defici. Cum enim in adlocutione episcopi haec officia recenserentur "sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare" vel similia, et in forma antiqua pro presbyteris de "ratione dispensationis sibi creditae reddenda" dictum esset, in ceteris tamen formis nihil nisi de sacrificio offerendo et de peccatis remittendis dicebatur, et eae potestatum collationes longius ab invicem seiungebantur. Videbant etiam pastoralis officii munera parum habere loci in Pontificali, quamvis de illis Evangelium plenissime eloquatur. In ipsa ergo praeclara adlocutione ab episcopo pronuntianda, et in examine dignissimo quod sequitur, officium pastorale, quod est praesertim Nuntii, Speculatoris et Dispensatoris Domini, sacerdotibus nostris praecipue proponebant: quae nisi quis legerit et perpenderit, et cum sacris Scripturis comparaverit, Ordinalis nostri virtutem plane non novit. Quod vero ad sacramenta attinet, in formis imperativis recensendis Domini nostri verbis primum locum dabant, non ex reverentia tantum sed quia eo tempore haec verba pro forma necessaria vulgo crederentur. Deinde omnia "sacramentorum mysteria antiquitus instituta" (ut sacramentarii nostri veteris verbis utamur; vide cap. XII[4]) sacerdotibus nostris commendabant, non unius tantum partem, aliis posthabitis, extollebant. Denique formam, quae characterem imprimit, cum forma quae iurisdictionem confert, una collocabant.

Et in his et similibus, quae longum esset recensere, exemplum Domini nostri et Apostolorum sine dubio sequebantur. Non enim solum dixisse memoratur Dominus "Hoc facite in meam commemorationem" et "Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos,"—ut rite ministranda sacramenta doceret, sed multa et observatione dignissima de pastorali officio, et suo, qui Pastor bonus est, et discipulorum suorum qui exemplo Illius moniti vitas suas ponere pro fratribus debent. (Confer Evangelium S. Johannis x 11—18 et 1 Ep. Joh. iii 16). Multa quoque in Evangelio tradidit de praedicatione verbi, de dispensatione servis electis commissa, de missione Apostolorum et discipulorum suo loco, de

peccatorum conversione et remissione delictorum in Ecclesia, de ministerio invicem faciendo, et cetera similia. Hoc ergo modo Sapientiae divinae placebat praesertim Nuntios, Speculatores et Dispensatores suos erudire, ut mundo, post discessum Eius, testimonium darent, et plebem sanctam in Adventum suum rite praepararent. Et quod fecerat Dominus fecerunt et Apostoli. Testis S. Petrus cum Seniores, id est presbyteros et episcopos, ut Consenior obsecrat "pascite qui in vobis est gregem Dei," et "cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronam" (1 Pet. v 1—4). Testis S. Paulus cum presbyteros et episcopos Ephesios admonet voce (Act. xx 18—35) et cum Epistula insigniter spirituali erudit (Eph. iv 11—13). Testis S. Gregorius Papa, cui gens Anglicana, per totum mundum iam dispersa, tantum debet, qui in libro suo *de regula Pastorali* multus est de his rebus et de moribus pastorum, sed de sacrificio offerendo paene aut omnino silet. Qui liber tanto in honore erat ut episcopis saeculo IX infra ipsam ordinationem daretur, una cum libro canonum, addita monitione ut vitas suas secundum eius praecepta regerent.[3]

Sanctus etiam Petrus, qui Pastorale officium tanto cum studio presbyteris commendat, in priori parte eiusdem epistulae totam plebem, ut sacerdotium sanctum, de spiritalibus hostiis Deo offerendis admonet (1 Pet. ii 5 et 9). Quod demonstrat illud presbyteris magis proprium esse, cum personam Dei adversus homines repraesentet (*Ps.* xxiii [xxii], Es. xl 10, 11, Jerem. xxiii 1—4, Ezech. xxxiv 11—31), hoc quodammodo cum plebe communicari. Sacerdos enim, cui dispensatio sacramentorum et praesertim Eucharistiae consecratio mandetur, nunquam solus ministrare debet, sed semper cum plebe astante et participante altari deservit.[4] Et sic prophetia Malachiae (i 11) impletur, et per oblationem Ecclesiae mundam magnum est Dei nomen in gentibus.

XIX. [3] Hoc testatur Hincmarus in praefatione *Opusculi LV Capitulorum:* Migne *Pat. Lat.* tom. 126 p. 292.

XIX. [4] Hoc ex Liturgiis Graecis antiquis et Missali Romano constat, in quibus paene omnia plurali numero dicuntur. Confer e.g. *Ordinem Missae:* "Orate fratres ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem"; et in *Canone* "Memento Domine famulorum famularumque

Respondemus ergo nos, Sacris Scripturis insistentes, in sacerdotibus constituendis dispensationem et ministerium verbi et sacramentorum, potestatem peccatorum remittendi et retinendi, et cetera pastoralis officii munera, recte inculcare et praedicare, et omnia alia in eis resumere et recapitulare. Cuius rei et ipse Papa testis est, qui Pontificalis apicis honorem, ex triplici commendatione gregis Christi S. Petro paenitenti data, maxime deducit. At quod in se tam honorificum reputat, cur in sacerdotibus Anglicanis nihil ad dignitatem et officia sacerdotii conferre credit?

XX. In finem fratrem nostrum in Christo venerandum monitum velimus ne iniquus sit in hac sententia proferenda non solum nobis sed et aliis Christianis, et inter eos antecessoribus suis, qui aeque certe secum Spiritu sancto fruebantur. Orientales enim nobiscum ob defectum intentionis damnare videtur, qui in *Confessione orthodoxa*, circa annum 1640 edita, duas tantum sacerdotii sacramentalis potestates nominent, scilicet solvendi delicta et praedicandi; qui et in *Catechismo longiore Russico*, Mosquae anno 1839 edito, nihil de sacrificio corporis et sanguinis Christi docent, et officia tantum sacramenta ministrandi et gregem pascendi inter ea quae ad ordinem pertinent, commemorant. Porro de tribus ordinibus ita loquuntur:—" Diaconus sacramentis inservit: Presbyter sacramenta consecrat, sub episcopo: Episcopus non tantum ipse sacramenta consecrat, sed potestatem habet per manuum impositionem aliis impertiendi donum et gratiam ut illa consecrent." Nobiscum certe mysteriorum plurium ministerium sacerdotibus magis convenire, quam unius sacrificii oblationem, docent.

tuarum N. et N. et omnium circumstantium . . . [pro quibus tibi offerimus, vel] qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis," et postea: "Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae," etc. De his lege e.g. S. Petrum Damianum in libro *Dominus vobiscum* cap. viii, de verbis "pro quibus tibi offerimus etc.": "patenter ostenditur quod a cunctis fidelibus non solum viris sed et mulieribus sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri sacerdote videatur. Quia, quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat"; et de "Hanc igitur": "Quibus verbis luce clarius constat quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus superponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur".

Et hoc quidem in forma apud Graecos nunc usitata apparet, in oratione quae incipit *Deus qui magnus es in potentia*:—"hunc quem voluisti, ut subiret gradum Presbyteri, imple dono sancti tui Spiritus, ut fiat dignus qui assistat inculpatus sanctuario tuo, praedicet Evangelium tui regni, administret verbum tuae veritatis, offerat tibi dona et sacrificia spiritualia, renovet populum tuum per lavacrum regenerationis" etc. (Habert *Lib. Pontif.* p. 314, ed. 1643.)

Sed de Patribus suis, quorum ordinationes supra descripsimus, quid iudicaturi sint etiam atque etiam Romani videant. Si enim Patres nostros ante annos ducentos et quinquaginta invalide ordinatos novo decreto Papa pronuntiet, nihil obstat quominus omnes simili modo ordinatos ordines nullos accepisse, eodem iure, necessario decernendum sit. Et si Patres nostri, qui formis, ut dicit, annis 1550 et 1552 nullis uterentur, nullo modo eas reformare anno 1662 possent, sui quoque eidem legi subiacent. Et si Hippolytus et Victor et Leo et Gelasius et Gregorius, in ritibus suis, partim parum de sacerdotio et de summo sacerdotio, et nihil de potestate offerendi sacrificium corporis et sanguinis Christi dixerint, ecclesia ipsa Romana sacerdotium nullum obtinet, et Sacramentariorum reformatores, quocunque nomine gauderent, nihil pro ritibus sanandis efficere poterant. "Hierarchia enim" ut ait, "extincta" ob nullitatem formae, "potestas ordinandi nulla fuit." Et si Ordinale "valere ad usum ordinationum minime possit, nequaquam decursu aetatum, quum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque ii egerunt frustra, qui [inde a [saeculis VI et XI] conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, [et de peccatis remittendis et retinendis], nonnulla dein ad ordinale facta accessione." Et sic, una cum nostris, omnes ordines suos subvertit Papa, et iudicium propriae ecclesiae infert. Eugenius quippe IV magnum periculum nullitatis ecclesiae suae intulit, cum doceret novam materiam et formam ordinis, et ne verbo quidem veras attingeret. Nemo enim scit quot ordinationes, eo docente, factae fuerint sine ulla impositione manuum aut forma idonea. Leo autem formam prioribus Romanis episcopis incognitam, et intentionem in Orientalium catechismis deficientem, postulat.

Ad summam, cum ad nos haec omnia nomine pacis et unitatis afferantur, notum omnibus esse volumus nos aequo saltem studio pacem et unitatem in Ecclesia prosequi. Quae autem frater noster Leo Papa XIII in aliis litteris de tempore in tempus scripsit aliquando verissima esse, et semper bona cum voluntate scripta, agnoscimus. Discrimen enim et disceptatio inter nos et illum ex diversa interpretatione eiusdem Evangelii oritur, quod unice verum omnes credimus et veneramur. Multa etiam in ipso amore et reverentia digna esse libenter profitemur. Sed error ille apud Romanos inveteratus capitis visibilis pro Christo invisibili substituendi, verba eius bona fructu pacis privabit. Quid Christus ergo voluerit in ministerio Evangelico constituendo nobiscum patienter, quaesumus, fratres reverendissimi, expendatis. Hoc prius facto alia sequentur tempore suo cum Deus voluerit.

Faxit Deus ut etiam ex hac controversia oriatur plenior veritatis notitia, patientia maior, et amplius pacis desiderium in Ecclesia Christi, Salvatoris mundi.

F. CANTUAR:
WILLELM: EBOR:

Data est haec epistula feria sexta die XIX
mensis Februarii A.S. 1897.

# APPENDIX.

## DE CAUSA JOHANNIS GORDON.

Johannes Gordon, de quo in capitulo VII breviter disseruimus, episcopus Gallovidiensis in Scotia meridionali anno 1688 in ecclesia Cathedrali Glasguensi sacratus est. Qui regem Jacobum II in exilium secutus, postea in ecclesiam Romanam receptus est et sub condicione denuo baptizatus est. Idem nomen Clementis Papae tunc regnantis suo praenomini addidit. Hic vir, ut notum est, ex eodem Pontifice postulavit, petitione vel memoriali quae hodie exstat,[1] ut ordines Romano ritu susciperet. Cuius libelli non opus est ut omnia argumenta recenseamus. Sufficit dicere ea maxime a veritate rerum abhorrere. Fundamentum est fabula de Parkeri archiepiscopi consecratione. De materia, forma et intentione scribit: "Nulla materia utuntur nisi forte traditione Bibliorum, nulla forma legitima: imo formam Catholicorum abiecere et commutavere in hanc: *Accipe potestatem praedicandi verbum Dei et administrandi sancta eius Sacramenta;* quae essentialiter differt a formis orthodoxis. Deinde quae intentio ab illis formari poterit, qui negant Christum aut primam Ecclesiam ullum incruentum instituisse sacrificium?" Nullam ergo rationem habuit verioris materiae et formae apud nos usitatae, scilicet impositionis manuum et verborum "Accipe Spiritum sanctum" et quae tunc ut nunc anteibant et sequebantur. Quid vero sibi vellet Gordon cum hoc facinus in se admitteret, nescimus.

App. [1] Vide M. Le Quien *Nullité des Ordinations Anglicanes* tom. ii. App. pag. lxix—lxxv, Paris 1725—cui subsequitur decretum S. Officii. Confer E. E. Estcourt *The question of Anglican Ordinations discussed* (Lond. 1873) App. xxxvi pp. cxv sq., qui aliud summarium vel argumentum causae et aliam decreti subsequentis formam, aliqua cum cura repetita, typis mandavit. Carta regis pro consecratione (post electionem) data est 4 die Februarii, et signata 4 Septembris 1688: summarium consecrationem die 19 Septembris habitam refert.

Hac ergo ex petitione, quae formam ordinationis presbyterorum solum tetigit, causam Clemens XI iudicavit: et facile credebatur ab eis, qui historiam ex libro Michaelis Le Quien tantum cognovissent, secundum mentem Johannis Gordon simpliciter iudicasse. Res tamen aliter cecidit, ut constat ex summario, quod decreto praefigitur, quod Estcourt anno demum 1873 typis mandavit, et quod miro modo in hac controversia neglectum fuit, et ex litteris Leonis Papae XIII, qui scribit:—"Qua de forma, quo plenius esset certiusque iudicium, cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret." Summarium enim, die consecrationis et ceteris huiusmodi prius recitatis, ita pergit:—"Actio sic fere peragebatur. *Primo*, fiebant preces secundum Liturgiam Anglicanam. *Secundo*, habebatur concio ad populum de dignitate et officio episcopi. *Tertio*, supradicto Johanne genibus provoluto, omnes supradicti pseudo-episcopi imposuerunt manus capiti et humeris dicendo *Accipe Spiritum Sanctum; et memento ut suscites gratiam quae in te est per manuum impositionem, non enim accepimus spiritum timoris, sed virtutis dilectionis et sobrietatis. Quarto*, peractis pauculis precibus pro gratiarum actione, terminata fuit actio." Sequitur decreti forma, quae, priori in parte, ab illa quam suppeditat Le Quien satis differt, quamvis illi non contradicat. Exemplar autem summarii et decreti, ut ab Estcourt editur, ex S. Officio prodiit die 2 Aprilis anno 1852, et Angelum Argenti, ipsius S.O. notarium, testem habuit; ita ut pro documento vero teneri possit.

Notabit prudens lector *primo* formam consecrationis episcopi hic tantum citari, cum Gordon in petitione (quamvis falso) formam ordinationis presbyterorum solum respexisset. Unde statim exoritur quaestio an S.O. Johannis Gordon dicta de ordinatione presbyterorum pro veris habuerit, necne? Si enim vera crediderit, iudicium ejus, tali mendacio suffultum, nullum est: si falsa, quare nihil de ea forma accuratius tradidit? *Secundo* observabit, formam hic citatam non esse eam quae anno 1688, saltem in Anglia, in usu erat, sed priorem, annorum scilicet 1550 et 1552. Non enim habet verba anno 1662 addita *ad officium et opus episcopi in ecclesia Dei quod iam tibi committitur, etc.*;

et verba ab omnibus consecratoribus prolata dicuntur. Porro tam neglegenter collata fuit forma, ut *gratiam* pro *gratiam Dei*, et *non enim accepimus* pro *non enim dedit nobis Deus* (2 Tim. i. 7, secundum S. Hieronymum) substituta sint. Nec tamen, *tertio*, cum illis libris, nec cum recentiori, actionis descriptio revera concordat. Nusquam enim in Ordinalibus nostris impositio manuum "humeris" praescribitur; et multa, sicut praesentatio, examen, hymnus *Veni Creator*, silentio praetereuntur. Quod vero in summario "quarto" dicitur, nullo modo verum est. Post verba enim *Accipe Spiritum sanctum* e.q.s. sequitur traditio Bibliorum sacrorum cum forma altera imperativa *Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae*, etc. Deinde sacra Cena celebratur. Denique annis 1550 et 1552 sequebatur tantum oratio una (*Super hunc famulum tuum, quaesumus, Pater misericors*) cui anno 1662 subiuncta est altera (*Actiones nostras*) cum benedictione (*Pax Dei quae exsuperat*). "Pauculae" vero "preces pro gratiarum actione" nusquam sunt. Porro "concio" in libris annorum 1550 et 1552 non praecipitur, sed primum in Ordinali anni 1662 apparet—quamvis probabile sit concionem fuisse. Haec ergo collatio Ordinalis Anglicani, qualecunque id fuerit, saltem quatenus ex summario iudicari possit, neglegentissima fuit, et ad ordinationem presbyterorum forsan non extendit: certe, quacunque ex causa fuerit, de ea silet. Quod vero de mentione omissa traditionis Bibliorum, in consecratione Episcopi, dici debeat, nescimus. Verba "sic *fere* peragebatur" neglegentiam, in tam gravi causa culpabilem, indicare videntur.

Hactenus omnia ex documentis iam cognitis descripsimus. Sed addit Papa ex scriniis, ut videtur, secretis S. Officii, quod nobis antea incognitum fuit: "in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea causa (*i.e.* Parkeri consecratio) ut documenta produnt integrae fidei," et statim: "neque alia ratio est reputata nisi defectus formae et intentionis." Quae sunt ergo ista "documenta integrae fidei" et quos et quales defectus, si ullos, formae et intentionis commemorant? An defectus in consecratione episcopi sunt? Vel in ordinatione presbyterorum? Aut in ambabus? Haec maximi momenti sunt, si res ex aequo iudicanda sit.

Papa quidem disputat sententiam illam nihil momenti a traditionis instrumentorum defectu duxisse, et rationem subiungit "tunc enim praescriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur." Quae argumentatio tum in seipsa debilis est, tum videtur demonstrare documenta ista nihil revera commemorare de genere defectus, cum id ex coniectura tantum colligatur. Et quaerere licet, an revera illo tempore mos iste obtinuerit. Exempla enim, quae ex annis 1604 et 1696 citantur, non de cerimonia omissa sunt, sed de presbyteris ad instrumenta tradenda ab episcopo ordinante delegatis (Le Quien ii pp. 388—394). Anno etiam 1708 cum Capuccinus quidam, cum porrectione patenae, sed sine hostia, casu ordinatus esset, decrevit Congregatio Concilii integram ordinationem *sub conditione* iterandam quasi de re nova decerneret.[2] Hoc anno quaestio non fuit de omissione totius cerimoniae sed de parte eius tantum. Quaestio de omissione cerimoniae integrae postea, ut videtur, agitabatur, cum "quidam sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen, solita Patenae cum hostia, et Calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus, non accessisset." Scribit enim Benedictus XIV in libro suo *de Synodo Dioecesana*, qui Romae primum anno 1748 edebatur, quod super quaestionem illam "priusquam huic operi extremam manum admoveremus, fuit in Sacra Congregatione Concilii disceptatum" (lib. viii. cap. x). De anno silet, sed satis longo tempore post causam Gordonianam videtur fuisse: et, etiam tunc, quaestio non exorta est de omissione cerimoniae istius consulto facta sed fortuita. Si ergo, circa annum 1740, Congregatio Concilii de iteranda ordinatione huius rei gratia disceptaret et non sine longo, ut videtur, consilio "sub conditione" iterandam rescriberet, anno 1704 mos iste vix obtinuit.

Sed summarium et decretum S. Officii, certe secundum interpretationem a Papa traditam, vix conciliari possunt cum documento

App. [2] Vide P. Gasparri *Tract. canonic. de sacr. ordinat.* sec. 1084 (tom. ii. p. 261, Paris 1894). Similis causa de altero Capuccino, subdiacono, resoluta fuit ab eadem Congregatione 10 die Jan. 1711: vide *Thesaurum Resolutionum* tom. ix parte 2, p. 165.

alio quod ex illo corpore ante dies octo aut novem prodiisse dicitur, et in *Collectaneis* etiam S. C. de propaganda fide anno 1893, sub numero 1170, ex parte insigniori typis mandatum fuit. Responsionem dicimus de Aethiopum Monophysitarum ordinationibus,[3] in qua, ut constat, ordinationes presbyterorum neglegentissimae approbantur, solum tactu manus et verbis *Accipe Spiritum sanctum* effectae, sine ulla alia materia et forma nisi forsan ea quae in oratione contineatur quae de sacerdotio omnino silet.[4]

Hoc documentum iam videmus a quibusdam "votum consultoris merum" dici, et, quantum fieri potest, repudiari. Sed patet aliquam responsionem huiusmodi illo tempore datam fuisse: in

App. [3] Vide de ritu Aethiopum illo tempore Iobi Ludolfi *Commentarium in Hist. Aethiop.* pp. 323—8 Francof. ad M. 1691. Dubia de his ordinationibus proposita et responsionem consultorum supremae Inquisitionis primus quantum scimus evulgavit, Benedicti XIV temporibus, Philippus de Carboneano (1707—1762), ex Fratribus minoribus, Professor Collegii urbani de propaganda fide, in *Appendicibus* ad *Theol. Moral. univ.* Pauli G. Antoine, Romae anno 1752 (p. 677 sq.), et alibi saepe editis, ut Ven. 1778 (III. 1, p. 172) Taurini anno 1789 (V p. 501 sq.) et Avenione 1818 (V p. 409). Quod de *Appendicibus* in Concinae *Theol. Mor.* scribit Gasparri, *Tract. Can. de sacr. Ord.* sec. 1057 Paris. 1893, nobis non liquet. De hac causa vide etiam E. E. Estcourt, *The question of Anglican ordinations discussed* (Lond. 1873) in appendicibus xxxiii, xxxiv et xxxv, ubi formulae ordinationum Coptorum et Aethiopum, Resolutiones S. Officii annorum 1704 et 1860, et litterae (24 Nov., 1867) Ludovici P. J. Bel, Episcopi Agathopolitani et Vicarii Apostolici Abyssiniae, typis mandatae sunt. Vide etiam P. Gasparri *Tract. Can. de sacr. Ord.* sec. 1057 et 1058, qui addit litteras Cardinalis Patrizi secretarii S.C.S. Officii ad Cardinalem Manning 30 Apr. 1875 datas. Confer etiam *Revue Anglo-Romaine* tom. i pp. 369—375 (1896) ex qua *Collectanea* Propaandae citamus, et A. Boudinhon in *Le Canoniste Contemporain* tom. XX pp. 5—10, Paris 1897, qui quaedam alia Romae recenter edita addit. Ph. de Carboneano responsionem sub die 10 Aprilis (i.e. feria V) refert, quem sequitur Manning, nec repugnat Patrizi. Responsio anni 1860 et *Collectanea* Propagandae diem 9 Aprilis memorant.

App. [4] Ordinationis formam Aethiopicam pro presbytero subiungimus ab Ludolfo anno 1691 editam *Comment in Hist. Aeth.* p. 328 :—

"Deus mi, Pater Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, respice hunc servum tuum, et largire illi spiritum gratiae et consilium sanctitatis, ut possit regere populum tuum in integritate cordis. Sicut respexisti populum electum, et mandasti Moysi, ut eligeret seniores, quos replevisti eodem spiritu quo donaveras servum tuum et famulum tuum Moysen. Nunc autem, Domine mi, da isti servo tuo gratiam quae nunquam deficit : conservans nobis gratiam spiritus tui et competentem portionem nostram; supplens in nobis cultum tuum in corde, ut celebremus te sincere. Per etc."

Forma ab episcopo L. P. J. Bel repetita parum differt (Estcourt p. cxiii).

responsione enim S.C.S.O. anni 1860 occurrunt verba "detur responsio huius S.C. Supremae Inquisitionis fer. IV 9 Apr. 1704." Sequitur responsio a theologis Romanis edita, sed nunc repudiata. Et huius documenti sententiam anno 1875 Cardinalis Patrizi, secretarius S.C.S.O., pro virili parte extenuavit, P. Franzelini, postea Cardinalis, verbis usus, quamvis non omnia ab eo scripta divulgaverit.

Si haec ergo responsio vera et genuina est, quaerere licet an S. O. formam ordinationis nostrae pro presbyteris approbaverit, et formam consecrationis episcopi tantum improbaverit? Plane nescimus: sed non adeo incredibile est.[5]

Si falsa et supposititia est, ubi gentium vera evanuit? et cur falsa tam diu et tam publice locum eius tenuit? Et quis posthac credat S.O. de tali controversia, vel etiam de indole documentorum suorum, idoneum testem esse?

Has ob causas iure dicimus tenebras S. Officio circumfusas a litteris Papae Leonis parum dissipatas fuisse. Documenta penes S.O. conservantur, et publici iuris fieri debent si veritati rerum consulendum sit. Ut nunc tamen res manet, nemo est qui non iudicet causam Gordonianam imbecillo et invalido firmamento esse, si quis ordines nostros ob praxim curiae Romanae nullos esse probare voluerit.

App. [5] Credit Gasparri Paulum IV ordinationes nostras pro presbyteris et diaconis approbasse: *De la valeur des Ordinations Anglicanes* pp. 14, 15, 45, Paris 1895. Cf. supra p. 12.

# CARDINAL VAUGHAN ON ANGLICAN ORDERS.

Preaching yesterday morning in the Church of St. John, Great Ormond-street, Cardinal Vaughan commented as follows upon the Archbishops' answer to Pope Leo XIII.'s pronouncement on the subject of the validity of Anglican Orders :—A few days before an important document was given to the public by the Archbishops of Canterbury and York. Its tone and temper were just what one would have expected from prelates who were as refined and cultivated as they were earnest and sincere. He was not going to attempt to refute or to discuss the multitude of points with which that document bristled, nor was he going to argue in general the question of the validity of Anglican Orders. That was a question settled for ever so far as the Catholic Church was concerned. His sole object that morning was to clear up a point which was left ambiguous in the Archbishops' document—a point, however, which was of the very essence of the whole subject. His belief was that it was important that Catholics and Anglicans should understand each other as clearly as possible, and that it was all gain when they could definitely lay their fingers upon the real points at issue between them. If they could come to a substantial agreement as to what they respectively meant by the Eucharistic sacrifice the cause of truth and straightforwardness would be served, even though they might continue to differ on the question of the Christian priesthood. The Archbishops stated clearly enough what they held to be the functions of the ordained priest. In regard to the Holy Eucharist in particular the Anglican priest rightly ordained alone, and no other minister of the Church was declared to have the power of consecrating. The exact words were as follows :—"We truly teach the doctrine of the Eucharistic sacrifice and do not believe it to be 'a nude commemoration of the sacrifice of the Cross.' . . But we think it sufficient in the Liturgy which we use in celebrating the Holy Eucharist—while lifting up our hearts to the Lord, and when now consecrating the gifts already offered that they may become to us [he noticed that the Prayer-book said "that they may be to us," not "that they may become to us "] the Body and Blood of Our Lord Jesus Christ—to signify the sacrifice, which is offered at that point of the service in such terms as these. We continue a perpetual memory of the precious death of Christ, who is our Advocate with the Father and the propitiation for our sins, according to His precept, until His coming again. For first we offer the sacrifice of praise and thanksgiving ; then next we plead and represent before the Father the sacrifice of the Cross and by it we confidently entreat remission of sins and all other benefits of the Lord's Passion for the whole Church ; and lastly we offer the sacrifice of ourselves to the Creator of all things which we have already signified by the oblations of his creatures. The whole action, in which the people has necessarily to take part with the priest, we are accustomed to call the Eucharistic sacrifice." They had in those words a valuable statement of what the Archbishops meant by the Eucharistic sacrifice. Now, the ministry of the Catholic priest was all this, when taken in its Catholic sense, but it was much more. The further powers claimed by the Catholic priesthood he need not express in words drawn from the Council of Trent, which Anglicans would say represented only the Latin Church. But he would take the definitions of the Council of Jerusalem held in 1673, which were adopted by the Patriarchs of the Orthodox Church. And he quoted from this Council the more willingly, because those definitions had been within the last three years put forward by the Provost Alexios Maltzen, the learned and active head of the chapel attached to the Russian Embassy in Berlin, as the dogmatic definition of the belief of the entire Orthodox Churches of the East, Russian and Greek. As he pointed out, they were "in the year 1723 forwarded to the Bishops of Great Britain "—that is to say, to the Non-Juror Bishops, who at that time were seeking some union with the Eastern Church. In some

few points the late Dr. Neale gave a somewhat different version; but he preferred to follow Dr. Maltzen, who must be presumed to know the real belief of the Church of which he had always been a member and the terms in which the nature of that belief could be most suitably conveyed to the Westerns. These, then, were the words of the Council of Jerusalem, embodying the belief of the Eastern and Russian Churches:—"We believe that in the celebration of this sacrament (*ἱερουγίας*) Our Lord Jesus Christ is present, not by way of type or image, nor by any superexcellency of grace, as in the other sacraments . . . but verily and in deed. So that after the consecration of the bread and wine the bread is changed, transubstantiated, transmuted, and passes into the very Body of the Lord, who was born in Bethlehem of the most pure Virgin, &c.; and the wine is transmuted and transubstantiated into the very true Blood of the Lord, which when He hung on the Cross was shed for the life of the world. Further, we believe that after the consecration of the bread and wine the substance of the bread and wine no longer remains [Neale had "the very bread and wine no longer remains"], but the very Body and Blood of Our Lord under the appearance and form of bread and wine. Further, we believe that the Body and Blood of the Lord in the mystery of the Eucharist [Neale omitted the last four words] ought to be honoured in the highest degree and worshipped with Divine worship. Further, we believe it to be a true and propitiatory sacrifice for all the faithful living and dead and for the benefit of all." In other words, it would be seen, as recently contended by Mr. Birrell and Mr. J. H. Round, "that it is the sacrifice of the Mass that matters." That was a point that appealed not only to the learned few, but to every devout Christian soul. That was the root and the very heart of the discussion on Anglican Orders. That was the real explanation why the Bishop of Salisbury, who a few years before was at great pains to induce the little Jansenist community in Holland to recognize Anglican Orders, failed in his attempt. The root of the whole matter was clearly seen and the issue definitely stated in the middle of the 16th century, when Latimer declared that "the Popish consecration, then transubstantiation, then oblation, and then adoration be the very sinews and marrow-bones of the Mass" adding, "if you take away oblation and adoration which do hang upon consecration and transubstantiation; the most Papists of them all will not set a button by the Mass." He would now endeavour to clear up the ambiguity he began by referring to. If the contention of the Anglican Archbishops meant anything it meant that the Orders of the Anglican Church were identical with the Orders of the Roman and Eastern Churches, or, as the late Archbishop of Canterbury said, "they are in origin, continuity, matter, form, intention, and all that belongs to them identical with those of the Church of Rome." It was evident, therefore, that the Archbishops intended to claim for the Anglican priesthood all the powers claimed by the priesthood of the Eastern and Western Churches Now here lay the ambiguity. Did they really claim those powers? Did they claim the power to produce the actual living Christ Jesus by transubstantiation upon the altar, according to the claim of the priesthood of the Eastern and Western Churches? But they had seen from the Archbishops' definition of their Eucharistic sacrifice that their sacrifice was, in fact, an essentially different sacrifice from that professed and defined in the Councils of Trent and Jerusalem. According to the Anglican Archbishops the Anglican priesthood claimed no miraculous supernatural sacrifical powers such as were exercised by the priesthood of the Eastern and Roman Churches. So far, therefore, according to their own showing, the Anglican priesthood was as different from the Roman and Greek priesthood as their sacrifice was different from theirs. Under those circumstances he failed to understand why they complained of the judgment of the Pope, who was bound to pronounce judgment from the standpoint of Catholic doctrine and must be understood to refer to the priesthood in the Catholic sense.